



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae

Johann Hugo <Trier, Erzbischof>

Mogvntiae, 1688

Benedictio domus à dæmonio vexatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

BENEDICTIO DOMUS à DÆMONIO VEXATÆ.

Scribitur.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cœlum & terram.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui sacerdotibus tuis præ cæteris tantam gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine dignè perfectèque ab eis agitur, à te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, ut quod modò visitaturi sumus, visites; & quidquid benedicturi, bene **+** dicas: & ad ea quæ acturi sumus, dexteram tuæ potentiae extendas: fiatque ad nostræ humilitatis ingressum & introitum, sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, & angeli pacis ingressus.
Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Deinde Sacerdos legat psalmos Graduales è Breviario, & profatur quinque primos, aquam benedictam aspergendo per loca domûs, quibus finitis dicat:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pa-

Pater noster.

Ÿ. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Ÿ. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domum tuam Domine clementer ingredi, & in tuorum tibi corda fidelium perpetuam construe mansionem: & præsta, ut in hac domo nulla malignorum spirituum dominetur nequitia. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Deinde psalmum **Qui confidunt.** cum aliis quatuor gradualibus sequentibus, cum **Gloria Patri.** & ut prius aspergat aquam benedictam per domum, quibus finitis dicat:

Kyrie eleison &c. Pater noster. ut supra.

Ÿ. Domine exaudi orationem meam.

Dominus vobiscum.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus assis, totus operaris; adesto supplicationibus nostris, ut hujus domûs sis protector, & nulla hic nequitia contrariæ potestatis obsistat: sed virtute Spiritûs sancti & operatione fiat tibi hic purum servitium, & de-

278 **Benedictio domûs à dæmone vexatæ.**
vota libertas existat. Per Christum Dominum
&c. **R.** Amen.

Postmodum incipiat Psalmum De profundis. & prosequatur ipsum, & alios graduales sequentes. Et interim aspergat domum aquâ benedictâ. Quibus completis dicat.

K yrie eleison. **P**ater noster. &c. *ut supra.*

Ÿ. Domine exaudi orationem meam.

Dominus vobiscum.

Oremus.

Deus qui in omni loco dominationis tuæ dedicator assisisti, exaudi nos quæsumus, ut inviolabilis hujus domûs permaneat Bene **✠**dictio, & beneficia tui muneris universitas, quæ supplicat, mereatur. Per Christum Dominum.

Postea in principali loco domûs legat Evangelium.

Dominus vobiscum.

Sequentia S. Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: Ingressus Jesus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachæus: & hic erat Princeps Publicanorum, & ipse dives, & quærebat Jesum videre quis esset: & non poterat præ turba, quia staturâ pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum: quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspiciens Jesus, vidit illum & dixit ad eum: Zachæe, festinans descende: quia hodie in domo

tua

tua oportet me manere. Et festinans descendit: & excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes, murmurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem divertisset. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum, Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus: & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait Jesus ad eum: Quia hodie domui huic solus facta est: eò quòd & ipse sit filius Abrahæ. Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.

Deinde benedicitur incensum isto modo:

Per intercessionem beati Michaëlis Archangeli, stantis à dextris altaris incensi, & omnium sanctorum Angelorum, incensum istud digneris Domine bene **✠** dicere, & in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Postea Sacerdos ponat incensum super ignem in thuribulo, & incenset domum dicendo:

V. Incensum istud à te benedictum, ascendat ad te Domine.

R. Et descendat super nos misericordia tua.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Te Deum Patrem omnipotentem suppliciter exoramus pro hac domo, & pro habitatoribus ejus:
ut

ut eam bene **✠** dicere & sancti **✠** ficare digneris,
 ut sint promptuaria eorum plena, eructantia
 ex hoc in illud: tribue etiam eis de rore cœli
 abundantiam, & de pinguedine terræ vitæ
 subsidium: & desideria eorum ad effectum
 tuæ miserationis perducas: & ad introitum no-
 strum hanc domum bene **✠** dicere & sancti **✠**.
 ficare digneris, sicut benedicere dignatus es
 Abraham, Isaac & Jacob: ut intra parietes do-
 mûs hujus, & angulos ejus inhabites. Per
 Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Oremus.

Visita quæsumus Domine habitationem istam
 & omnes insidias inimici ab ea longè repelle: &
 Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in
 pace custodiant: & benedictio tua sit super
 eam semper. In nomine Pa **✠** tris, & Fi **✠** lii
 & Spiritûs **✠** sancti.

R. Amen.

Postea domum & omnes habitantes in ea benedicat, dicens:

Et benedictio Dei omnipotentis Pa **✠** tris, &
 Fi **✠** lii, & Spiritûs **✠** sancti descendat super
 hanc domum, & omnes habitantes in ea, &
 maneat semper.

R. Amen.

BE.